



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Si damnatorum animæ notitiam habeant eorum quæ hic fiunt. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



nebris erunt impij, vbi nullam Dei lucem vident, cui confiteantur.

*De animabus damnatorum si quam habent notitiam eorum quæ hic fiunt.* C

Præterea quæri solet, si reprobos animæ, quæ nunc in inferno cruciantur notitiam habeant eorum quæ circa suos in hac vita geruntur, et si aliquo modo doleant super infortuniis suorum charorum? Hanc quæstionem Aug. commemorat, ex parte eam explicans, ex parte vero insolutâ relinquens: ait enim, Quæret aliquis, an vllus dolor tangat mortuos, de his quæ in suis post mortem contingunt? vel quo modo ea, quæ circa nos aguntur, nouerint spiritus defunctorum? Cui respondeo magnam esse quæstionem, nec in præsentî differendam. Veruntamen breuiter dici potest, quod est cura mortuis de suis charis, vt de diuite legitur: qui dum tormenta apud inferos pateretur, leuauit oculos ad Abrahâ, & inter alia dixit. Habeo enim quinque fratres: mitte aliquem ex mortuis, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Habent enim mortui curam de viuis, quos sciunt viuere: quia nec in locis pœnarum vident eos. vbi diues sine fratribus erat, nec in requie beatorum, vbi Lazarus & Abraham, quamuis longe, agnoscebat. Non tamẽ ideo consequens est eos scire, quæ circa charos suos aguntur hic, vel letitia, vel tristitia.

*Quomodo accipienda sunt, quæ de Lazaro & diuite leguntur.* D

Si quis autem quærat, Quomodo intelligatur, quod de Lazaro & diuite legitur? Audiatur Aug. responsum dicentis, si quis putat animas corpore existas locis corporalibus contineri, cû sint sine corpore, non deerunt qui faueant, & diuitem sitientem in loco corporali fuisse contendant, ipsamque gratiam corpoream propter arentem linguam, &

*Aug. ad ver.  
14. Psal. 103.  
Et disperiat  
de terra. t. 8.*

*Luc. 16.*

*Aug. de Gen.  
ad literã. li.  
8. c. 5. tom. 3.*